

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
GRATIA SPIRITVS SANCTI
APPLICATRICE
IN GENERE.

QVAM

INVVANTE DEO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

IO. CAROLO LVDOVICO,

COMITE PALATINO RHENI, DVCE BAVARIÆ,
COMITE VELDENTLÆ ET SPONHEMII rel.

EQVITE AVRATO ORDINIS S. HVBERTI
PRÆSIDE

IEREM. FRIDER. REVSSIO,

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,
SERENISSIMI DVCS WVRT. CONSILIARIO, VNIVERSI-
TATIS CANCELLARIO, ECCLESIAE PRAEPOSITO,
ET ABBATE LAVREACENSI.

DEFENDENT

- M. IOANNES CHRISTOPH. SARTORIVS, *Bebenbusanus.*
M. WILHELM. ERNEST. STRASHEIM, *Oppenwovilanus.*
M. IOANNES FRIDERICVS HERZ, *Cansfadensis.*
M. SAMVEL ALEXANDER STRASSER, *Alto-Twielan.*
M. TOBIAS FERDINANDVS MOHR, *Plochingensis.*
SS. THEOL. CVLTORES ET SERENISSIMI STIPENDIARIJ.

Diebus XXIX. & XXXI. Octobr. MDCCLX. H. L. Q. C.

TVBINGÆ, TYPIS SIGMVNDIANIS.

11

DISSSERTATIO THEOLOGICA
DE
GRATIA SPIRITVS SANCTI
APPLICATAE
IN GENERE

AVVNTE DRO.
RECTOR UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI O.
IO. CAROLO LUDOVICO
COMITE PALATINO HEREDI PALATINAE
BAYARIE
BOLEAE AUSTRIACAE VINDOBONENSIS
PRÆSIDIS

THEO. FRIDER. REYSSIO
THEOL. DOCT. P. M. A. D. 1717
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
LUDOVICO CAROLO COMITE PALATINO
ET ABBATE BAYARIE

M. JOHANNES CHRISTOPH. REYSSIO
M. WILHELM. REYSSIO
M. JOHANNES FRIDERICUS REYSSIO
M. JOHANNES ALBERTUS REYSSIO
M. JOHANNES REYSSIO

DR. JOHANNES REYSSIO
TABERNICELI





I. N. D.

Primaria quædam Theologiæ revelatæ & Religionis christianæ pars est doctrina de Operationibus Spiritus Sancti & Gratia Ejus applicatrice; neque ulla fere magis invisâ illis, quorum animos infelix quædam, vel insciis ipsis, in Rationalismum propenso, a fidei simplicitate & ab ea, quæ Verbo DEI debetur, humili reverentia avertit; easque ipsas ob causas tanto majore studio, nostris maxime temporibus, tuenda. Tractatio hæc nostra generalis est, cujus potiora quidem momenta Compendia & Systemata Theologica in speciali actuum Gratia applicatricis expositione exhibent; integram vero seorsim in illis tradi & explicari plenius haud videas. Ac tamen fundamenta, specialibus capitibus recte & solide exponendis inservientia, haud facile melius, quam in tractatione ejusmodi generaliore poni possunt. *Thetica* est expositio hæc nostra; ad quam suscipiendam quæ potissimum rationes nos commoverint, præmonuit Collega conjunctissimus, S. Rev. Dn. D. SARTORIVS, in Præf. Diss. de Creatione. Curæ nobis cordique fuit, dogmata distincte & accurate exponere, terminis,

A

nis,



nis, (*) ubi utiles sunt & idonei, technicis, semper vero planis, vel ex usu loquendi communi petitis, vel & scripturariis, ordine & nexu rebus conveniente, cum *rationibus* solidis, iisque e Verbo DEI petitis, haud raro etiam, ut analogia Scripturae facilius & plenius intelligatur, cumularis, ac subinde etiam nervo probandi in dictis Scripturae, ubi opus potissimum erat & paucis id fieri poterat, commonstrato; addita, ubi maxime consentaneum id visum est, *Librorum Symbolicorum* auctoritate. Adversariorum quoque *antithesin*, ubi ea majoris momenti est, ejusque notitia ad ipsam theses, acroamaticae inprimis, plenior & accuratior intelligentiam facit, indicavimus; adjunctis etiam subinde, praecipuis quibusdam, absque diserta dubiorum commemoratione, *solutionum fontibus*; Tandem, quum *historiam dogmatum*, sicubi eam nosse interest, specialis actuum Gratiae tractatio rectius sibi vindicet, *usus etiam & consuetudinae practicae* graviora (neque enim brevitatis necessaria plura patiuntur) subjecimus. In *allegandis* autoribus, ut fas est, parci sumus; selegimus vero ea, quae utilia esse existimavimus. Faxit Gratia DEI, ut qualiscunque haec nostra opera fructus aliquos ferat, sanctissima & saluberrima doctrina non indignos!

(*) De stilo & vario in Theologia dogmatica scriptio-
 genere legi meretur Jo. Dav. *Michaëlis* Praef. Comp.
 Theol. Dogm.

§. I.

Gratia est illa DEI, per Christum reconciliati, benevolentia erga homines gratuita, qua ad conferenda illis bona, ad salutem animae & beatitudinem eorum aeternam pertinentia, propensus est. Hic proprius vocis & primarius in N. maxime

❁

xime T. significatus est. Nam *amor* quidem, qui misericordiae dicitur, missionem Mediatoris etiam antecedit; (Joh. III. 16. 1 Joh. IV. 9. 10.) sed *Gratia* per Christum parta est, (Joh. I. 17. 2 Tim. I. 9. Eph. I. 6. 7.) nec locum habere posset, nisi mundus DEO per Christum esset reconciliatus. (2 Cor. V. 19. conf. c. VI. 1.)

Obf. 1.) Dicitur etiam, cum *stricto* hoc sensu sumitur, benevolentia aut gratia DEI specialis. *Latiore* enim sensu omnis amor, benevolentia, & favor DEI gratuitus, inprimis erga homines, ut peccatores, & mortis aeternae reos, Gratia dicitur. Atque ita quidem omnia, quae a DEO hominibus conferuntur, bona, etiam naturalia, dona Gratiae recte dicuntur. conf. Jo. *Fechti*, de Ordine modoque Gratiae divinae, Aph. I.

2.) *Primus* atque *praecipuus* mortis Christi effectus & fructus est, quod *Gratiam* DEI nobis peccatoribus conciliavit. (2 Cor. V. 19. Rom. V. 10.) Et Gratia deinceps bonorum salutarium omnium fons est locupletissimus; (Eph. I. 3 — 9. II. 1 — 8.) atque inde etiam votorum apostolicorum summa. (Rom. XVI. 20. 24. 1 Cor. XVI. 23. Eph. VI. 24. Phil. IV. 23.)

§. II. Quod ipsa amoris divini, quod Gratiae (§. I.) indoles & magnitudo nos docet, id disertissime testatur Scriptura: DEVM, cum ad nos redimendos ipsum Filium suum unigenitum pro nobis dederit, omnia etiam *reliqua facere nobisque impertiri* velle, quae necessaria eum in finem sunt, ut salutis per Christum *parta* actu *participes* fieri possimus. (Rom. VIII. 32. V. 8 — 10. Eph. I. 3 — 7. 1 Tim. II. 4. 5.)

§. III. Et primus quidem Gratiae illius divinae, quam Christus nobis conciliavit, longeque excellentissimus, effectus ac fructus ille est, quod *Spiritum Sanctum* mittit, nobisque largitur, (Gal. III. 13. 14. IV. 6.) ut nos regeneret, ut nos sanctificet; (Tit. III. 5. 1. Perr. I. 2.) (*) quia etiam post factam peccatorum per Christum expiationem tales, quales

A 2 naturā

naturâ fumus, (Joh. III. 6. Rom. VIII. 7. Gen. VIII. 21.) & nisi regeneriti, nisi sanctificati fuerimus, æternæ salutis compotes fieri non possumus; (Rom. VIII. 6. Eph. II. 3. Hebr. XII. 14. Joh. III. 3.) idque ob sanctitatem DEI immutabilem. (1 Petr. I. 16. Pf. V. 5. Hebr. XII. 29.)

(*) Conf. Libros Symb. p. 496. sq.

Obf. 1.) Duo sunt amoris divini erga nos peccatores documenta omnium summa: unum, quod ad *expianda* peccata nostra *Filii* sui sanguinem impendit; (1 Joh. IV. 10. Rom. VIII. 32.) alterum, quod ad nos *sanctificandos* suum Ipsius *Spiritum* mittere & impertiri nobis dignatur. (Gal. III. 13. 14. 1 Cor. VI. 11.)

2.) Quid *sanctificatio* h. l. sit, quo sensu sumatur, suo loco videbimus. (§. XIII. XIV.)

§. IV. *Gratia* DEI, cum spectatur ut actuosa & operosa, atque ipse etiam actionum & operationum *DEI*, & peculiariter *Spiritus Sancti*, quæ ex *Gratia* illa speciali (§. I.) proveniunt, & eò tendunt, ut bonorum salutarium, ipsiusque Salutis, per Christum partæ, compotes siamus, complexus, dicitur *Gratia* DEI, & peculiariter *Spiritus Sancti*, *applicatrix*.

Obf. 1.) Non æque late patent, accurate sumtis vocibus, *Gratia* *DEI* applicatrix, & *Gratia* applicatrix *Spiritus Sancti*. (conf. §§. XVI. XVII. XVIII.)

2.) *Gratia* sæpissime sumitur pro gratiosa operatione *Spiritus Sancti*. Significatus ille in Theologia valde usitatus est. Et in Scriptura quoque Vox *Gratia* non modo a.) *favorem* *DEI* gratuitum, (§. I) sed etiam, per metonymiam, b.) *effectus* ejus, & satis quidem frequenter, *donæ* *Gratiæ*, (1 Cor. I. 4. sq. 1 Petr. IV. 10) designat. Quod vero, una cum favore gratuito, simul etiam ipsum efficacem *Gratiæ* concursum, *operationem*, influxum, denotet, nullo forte loco commodius probari potest, quam 1 Cor. XV. 10. Insigne argumentum præbet etiam locus, Act, XVIII. 27. five illud, *dic*



της χάριτος, connectas (quod *Lutheri* Versio velle videtur, & plerisque placet) cum proximo verbo ἐπίστευσαι; sive cum remotiore, συνεβάλετο; vide *BENGLIVM* ad h. l. Aët. IV. 33. vocem, χάρις, de Gratia DEI in omnes copiose se diffundente accipi patitur in *Cur.* ad h. l. *WOLFIVS*; ita autem accipi omnino debere recte probat ad h. l. *HEVMANNVS*. Nec male forsân eò retuleris locum 2 *Cor.* I. 12.

3.) Applicari nobis, Theologi dicunt, modo meritum Christi, modo Redemtionem, modo salutem, modo bona, per Christum parta, modo media salutis &c. Et applicari bona dicuntur, & quando offeruntur & quando conferuntur, quocunque modo atque actu id fiat. Inde generalis illa notio & definitio Gratiae applicatricis nascitur, quam dedimus. conf. *FECHTIVS*, l. c. Aph. II.

4.) Operationes igitur Spiritus S. proprium disquisitionis hujus nostrae objectum sunt. Ostendendum est, paullo explicatius, quod & quid & quomodo &c. operetur, quidve in œconomia Gratiae divinae ad salutem nostram conferat Spiritus Sanctus.

§. V. *Primum*, quod Spiritus S. ad salutem nostram confert, illud est, quod mysterium Gratiae & salutis patefecit hominibus; (1 *Cor.* II. 7—13) quod, inquam, Voluntatem DEI, eaque omnia, quæ ad salutem nostram pertinent, pro varia œconomia temporum, in usum totius humani generis, revelavit, (2 *Pet.* I. 21. *Joh.* XIV. 26. XVI. 13. XV. 26.) doctrinamque salutis in Scriptura S. perfecte traditam, (2 *Tim.* III. 15—17.) una cum rationibus & motivis longe efficacissimis & sufficientissimis continuo & constanter proponit. Hoc opus Spiritus S. agnoscunt omnes, (*) qui, Scripturam S. verbum DEI esse, vere & ex animo credunt.

(*) Non negant id, nisi *Infideles*, *Naturalistæ*, *Rationalistæ*, & quoad N. T. *Judei*. Cum his autem omnibus, tota via aberrantibus, & in Loco de Scriptura S. confutandis, nihil nobis in hoc meletemate negotiû est.



§. VI. *Alterum* est illud, quod in hominibus ea, quæ ad salutarem eorum mutationem internam, seu emendationem, pertinent, gratioso & efficaci influxu suo Ipse operatur, divinaque virtute sua (ordine convenientissimo) efficit. Hac de re, quæ omnium eorum, quæ nostra hæc Dissertatio sibi vindicat, caput est & maximi momenti, sollicitius jam & paulo copiosius ut agamus, necesse est.

Obf. 1) *Pelagius* (antesignanus eorum, qui doctrinæ huic gravissimæ & saluberrimæ adversantur) Gratiæ *supernaturalis* auxilium omne in eo ponebat, quod DEVS doctrinam salutis, qua & rationes probantes & motiva suadentia continentur, in Scriptura S. & per Verbi ministros proponit. Solum igitur admittebat gratiam *doctrinæ*, Gratiam, ut vocabatur, *objectivam* & *externam*. vid. Gerardi Joh. *Vossii* Hist. Pelag. L. III. p. 284. sqq. *Pajonium* rectius notabimus alio loco.

2) Nec desunt hodie, qui pravis quibusdam suæ, quam jactant, *philosophiæ* principiis fascinati pelagianismo isti magis minusve, modo rectius, modo apertius, favent & patrocinantur. Non temere fecit, quod ejusmodi phænomena ad signa nostri temporis referre ausus est B. *Bengelius*, *Neden über die Offenb. Joh.* p. 810. 829. 1224. sq. Atque utinam ante oculos continuo esset omnibus, quod pii *Confessores* monent! in LL. *Symb.* (ed. *Rechenb.*) p. 657. lin. 1. & sqq.

§. VII. Omnium luculentissime & copiosissime docet Scriptura, DEVM, & peculiariter Spiritum S. vere, sua Ipsius Virtute & gratioso influxu, operari 1) in *fidelibus*. a.) *Dissertissime* & planissime id testatur, & ne ambiguitas ulla superfit, eo utitur verbo, (*εβραϊστικῶς*) quo nullum aliud, ad id significandum, & magis proprium est & magis accommodatum. Phil. II. 13. (*) 1 Theff. II. 13. Eph. III. 20. b.) Christus (**) Joh. XV. 4. 5. *simili* rem docet & illustrat, quo nullum aliud evidentius esse poterat & significantius. Præterea c) Spiritus S. Ipse dari dicitur fidelibus, (1 Theff. IV. 8. Act. V. 32.) *mitti* in eorum corda, (Gal. IV. 6.) *requiescere* super



super eos, (1 Pet. IV. 14. coll. Luc. IV. 18. & Num. XI. 25. 26.) *habitare* in illis, (1 Cor. III. 16. VI. 19.) iisque omnibus, (Rom. VIII. 9. 11. 15.) ita, ut ipsam etiam corpus illorum templum ejus esse dicatur. (1 Cor. VI. 19.) Atque ita substantialiter Ipse & immediate praesens, quid operetur, quid suo Ipsius gratioso influxu efficiat, Scriptura porro luculenter & copiose exponit. Ipse fideles regit & gubernat; (Rom. VIII. 14.) docet & illuminat; (Eph. I. 17. 18. 1 Joh. II. 27.) sua Ipsius Virtute infirmos sustentat & adjuvat; (Rom. VIII. 26.) viribus spiritualibus eos instruit; (Eph. III. 16. coll. Phil. IV. 13.) (***) Ipse suspiria excitat in corde eorum occulta & ineffabilia (Rom. VIII. 26.) Ipse supplicare & clamare in illis dicitur: Abba! Pater! (Gal. IV. 6. Rom. VIII. 16.) efficaci testimonio (***) suo interno certos eos reddit de gratia & amore DEI paterno. (Rom. VIII. 16. V. 5.) Taceo (***) alia, longe plurima. Tota consonat Scripturae S. analogia.

(*) *ὁς*; rectissime *Lutherus* ad verbum proximum *οὗτος*, refert; & *rationem* solidissimam brevissime exhibet ad h. l. *Bengelius*. Nimirum hoc (*ὁς ὁ ἐνεργῆται ἐν ὑμῖν*) dum addit Paulus, ostendit & efficacissime probat, Verbum, quod ab ipso acceperint Thessalonicenses, vere esse DEI verbum. conf. c. IV. 8. 9. Act. XIV. 3.

(**) Ad h. l. conf. *Calovii* Bibl. Illustr.

(***) Recte nervum h. l. ostendit *Molineus* paucis his verbis: Qui tantum lucem praefert, & viatorem hortatur ad incedendum, non dat ei *vires* incedendi. in *Anat. Armin.* p. 308.

(****) conf. Meletema meum de Testimonio Spiritus S. interno.

(*****) Conf. quæ porro attulimus, §. IX. e. & §. XV.

§. VIII. Tot tamque evidentiæ sunt Scripturae testimonia, quæ divinam Virtutem atque potentiam in fidelibus efficaciter se exerentem, & supernaturalem operationem in fluxum-



fluxumque specialem ac gratiosum Spiritus S. disertissime afferunt, eundemque ut causam efficientem, non remoram modo, sed proximam & immediatam (immedierate, ut technice loquuntur, non organi, sed suppositi & virtutis,) effectuum illorum ac donorum spiritualium summa cum emphasi &, ad rem tanto magis illustrandam & confirmandam, pluribus omnino modis prædicant. Soli obloquuntur, omnem genuinam verborum vim ac potestatem conterunt, exactissimam Scripturæ analogiam evertunt, sensus affingunt locutionibus gravissimis & amplissimis minutissimos, alienos plane & intolerabiles, qui nullam DEI ac Spiritus S. operationem, nullum ad effectus illos spirituales concursum admittunt alium, quam quod doctrinam salutis ipse revelaverit & inspirarit olim, ut, quod (sub concursu DEI generali, omnibus rebus creatis communi) solam doctrinam, suis tantum rationibus & motivis animatam, efficere putant, id *non alia de causa* DEO & Spiritui ejus Sancto tribuatur, quam quia Scripturæ & *doctrina salutaris Author* est primarius. Quis ferret, dicentem: e. g. præconem aut auctorem alicujus doctrinæ mitti, dari, requiescere, habitare in eo, qui doctrinæ illi in animo suo locum dedit? Cogita & expende dicta, quæ in medium prorulimus, præcipua seorsim, & omnia conjunctim; clarissime videbis, sensus emergere ex pelagiana ista hypothesi æque vanos & intolerabiles, cum omni sano loquendi usu pugnantes.

Obf. 1.) Tanta certe plurimorum Scripturæ dictorum vis est atque evidentia, ut ipse etiam GROTIUS, minutos sensus in illis, quæ ad mysteria pertinent, confectari solitus, specialem operationem & influxum Spiritus S. non potuerit non agnoscere & profiteri. Vide Notas ejus, e. g. ad Joh. XV. 4. 2 Cor. I. 22. Rom. VIII. 9. 10. 11. Phil. II. 13. Quid? quod ipsi etiam *Sociniani*, qui alioqui nil non ad rationis suæ decempedam emetiri audent, (quamvis veram & genuinam de Spiritu S. doctrinam non ferant, tamen) non sola doctrina & mero verbo *in fidelibus* omnia, sed permulta sancto DEI ipsius afflatu ac Virtute seu efficacia a DEO in
ho,

homines manante effici confitentur. Vid. Catechesis Ecclesiarum Polonicarum. Ed. 1680. p. 9. 87. & inprimis p. 134. sqq. & p. 160. & Joh. CRELLII Tractatus de Spiritu S. qui fidelibus datur; Opp. T. IV. c. IV. de Effectis Spiritus Sancti. p. 479. sqq. Pudendum vero est, tantum non videre in Verbo DEI, quantum ipsi vident in mediis suis tenebris nocteque profunda Socini affectuæ!

2.) In eorum gratiam, quibus Catechesin Racov. evolvendi copia non est, adscribam verba ejus quædam. Ita vero illa docet suos: Communiter in hominibus exiguæ admodum sunt vires ad ea, quæ DEVS ab illis requirit perficienda; at — si accedat *divinum auxilium*, nec vires deerunt ad ipsa opera. — Auxilium illud divinum duplex est, *interius & exterius*. *Exterius* sunt ingentia N. Fœderis promissa & minæ. — *Interius*, cum DEVS in cordibus fidelium, quod promissit, magis magisque per Spiritum suum inscribit & obsignat, utque promissi divini peculiari quodam gustu afficiantur, facit. Deinde cum per eundem Spiritum, tum menti eorum pietatis officia clarius ostendit, eamque prudentiâ, in rebus præsertim difficilioribus, instruit; tum voluntati *immediate* ardorem quandam ad pietatem strenue exercendam inspirat, & affectuum eam impediendum violentiam reprimat, ac segnitiam tollit, atque animum stimulis quibusdam sacris ad virtutum actiones excitat. p. 159. 160. Est vero Spiritus Sancti donum ejusmodi DEI *affatus*, quo animi nostri, vel uberiore rerum divinarum notitia, vel spe vitæ æternæ certiore, atque adeo gaudio ac gustu quodam futuræ felicitatis, aut singulari gloriæ divinæ pietatisque ardore, complentur. p. 135. sq.

§. IX. Nec minus perspicue 2.) *primam* quoque *mutationem salutarem* hominum divinæ Virtuti & operationi Spiritus Sancti Scriptura tribuit. Nam a.) ex eo, quod ne ipsi quidem fideles & regeniti a semetipsis, sine influxu Spiritus Christi, quidquam facere possunt, quod vere bonum & salutare sit, (Joh. XV. 4. 5.) rectissime concluditur, multo minus tale quid posse, qui nondum sunt regeniti, & nonnisi



divinâ virtute & operatione primam quoque mutationem illam effici. (conf. Rom. VIII. 7.) (*) Præterea b.) universales plane sunt enunciationes illæ & quasi axiomata divina: Ex natura nostra corrupta, ejusque viribus, ne (***) cogitationem quidem sanctam proficisci ullam posse; (2 Cor. III. 5. coll. Rom. VIII. 7.) &, DEVM sua Virrute & operatione efficere, ut ea, quæ salutaria sunt, velimus. (Phil. II. 13. coll. Joh. XV. 4. 5.) Cum igitur c.) a DEO Ejusque Sancto Spiritu regenerari homo dicitur, (Joh. III. 5. coll. c. I. 13. & Tit. III. 5.) vivificari & resuscitari, ante in peccatis mortuus, (Eph. II. 1. 5.) imo & creari, ad bona opera; (Eph. II. 10.) tanto minus dubitari potest, divina Virtute & supernaturali operatione, quam (***) verba ipsa clarissime & summa cum emphasi significant, salutarem illam animi mutationem effici. Quibus omnibus accedit, & observatu dignissimum est, d.) quod (***) fides salvifica, quod vivificatio & resuscitatio illa spiritualis diferte ejusdem divinæ (****) virtutis opus esse dicitur, qua Christus vivificatus est & resuscitatus ex mortuis. (Eph. II. 1. 5. observato nexu cum c. I. 19. 20. & conf. Col. II. 12.) Quod vero ex locis, quæ allegavimus, satis jam luculenter patet, mutationem illam animi intimam non sola rationum & motivorum, quæ verbum homini proponit, vi quadam mere morali & suasoria, sed virtute DEI & operatione Spiritus Sancti (quam cum verbo conjunctam esse postea videbimus) effici, id tandem etiam ex eo firmissime comprobatur, quod e.) Virrus illa & operatio divina a Verbo, quoad in se & seorsim spectari potest, diferte & evidenter distinguitur. (1 Thess. I. 5. II. 13. imo & 1 Cor. III. 6. nec sine causâ eo retuleris 1 Cor. II. 4. 5. & Joh. VI. 44. 45.)

(*) Legi merentur, quæ ad h. l. (maxime ad verba: ἀδὲ γὰρ δόξαται) annotavit S. R. Jobi, Bened. CARPZOVIJVS, in Stricturis Theol. & Crit. in Ep. S. Pauli ad Romanos. p. 173—176.

(**) Quam graviter id asseruerint pii *Confessores*, omnino vide, LL, Symb. p. 668. 643. 656.

(***)



(***) Ad loca hæc Scripturæ dictum similiter puta, quod supra §. VIII. monuimus.

(****) Ad hoc probandum adhiberi recte etiam potest Salvatoris effatum, Joh. VI. 29. Nemo autem, quod sciam, sollicitius & fortius hunc illorum verborum sensum tuitus est & vindicavit, quam S. R. Bernh. Frid. QVISTORPVS, in Dis. Exeg. de Fide, DEI opere. Joh. VI. 29. Rostochii. A. 1757.

(*****) Audi Philosophum quoque celebratissimum, LOCKIUM, qui suo acuminè indignum non iudicavit, suum quoque calculum huic dogmati adjicere. Ita ille: Le cœur de l'homme ne se rend pas si aisément à des vérités aussi sublimes, que le sont celles de l'Évangile; & cent miracles ne feront jamais un Chrétien, si par la même puissance, qui operoit les miracles, Dieu ne produit la foi dans les Ames. Petite Paraphrase de tous les passages remarquables dans le 4. Évangiles du N. T. ad Matth. XI. 22 — 24.

§. X. A rectæ 1.) *Rationis* (*) iudicio tanto minus abhorret sana de concursu & influxu DEI *speciali* ad sanctificationem, seu salutarem mutationem, hominis doctrina, (§§. IX. & VII.) quanto magis certum est, (**) (Act. XVII. 28.) & ab ipsis etiam Philosophis melioribus agnitum, sine concursu DEI *generali* & influxu continuo ne naturales quidem ulla, quæ rebus creatis insunt, perfectiones (***) existere. Quotusquisque vero 2.) *authoritati Scripturæ* cedit, & immediatas revelationes tam multas, tam variis temporibus, tot hominibus contigisse, & tot Veteris & Novi Testamenti libros, pluribus sæculis inter se distantes, immediate a Spiritu S. inspiratos esse, & dona extraordinaria omnis generis, non Viris tantum immediate a DEO missis, sed aliis quoque omnis generis hominibus, iisque longe plurimis, (Act. II. 4. X. 44 — 46. 1 Cor. XII. 3 — 11. XIV. 1 — 5. 26 — 32.) immediate a Spiritu S. collata esse, quotusquisque, inquam, operationes istas *extraordinarias*, (quas tam evidenter assertas



negare certe nulli, nisi hosti Scripturæ S. in mentem venire potest,) sincere admittit, is ut ad agnoscendas & credendas operationes Spiritus S. *ordinarias*, verbis & phrasibus æque claris & æque significantibus assertas, morosum ac difficilem afferre possit animum, fieri certe haud facile potest.

(*) *Gentilium philosophi* meliores divinum speciale auxilium, afflatum, instinctum, ad virtutem & opera eximia necessarium esse censuerunt. CICERO: Nemo Vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit. Lib. II. de nat. Deorum. SOCRATES inde summo studio vacabat precibus. καὶ ἦν ὁ βίος Σωκράτης μετὰ εὐχῆς. MAXIMVS Tyr. Diff. 30. εἰδέν ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγαθὸν, ὃ μὴ παρὰ Θεῶν ἔρχεται. Id. Diff. 22. Καὶ εἰδέν θεῶν κακῶν ἀρχῆς ἔτε ἐνοποκρινένης ἔτε ἔξοθεν κακοποιῶν αἰτίαν ἐνδιδέσσης. Ἀγαθῶν δὲ θεῶν ἀρχῆς μάλιστα καὶ μόνης, καὶ τῆς μὲν κενωρισμένης τῶν λογικῶν ὄντων, οἷός ἐστιν ὁ Θεός. HIEROCLES in Pythagoræ aur. Carm.

(**) conf. libelli egregii, kurzer Beweis, von der Göttlichkeit der h. Schrift und Wahrheit der christlichen Religion, zum Dienst derer, die heimlich zweiffeln ic. p. 30.

(***) Exat (vid. Hamb. Ber. von gel. Sachen. A. 1756. p. 203. sq.) memorabilis Epistola LEIBNITII ad SPENERVM. In ea Vir acutissimus ita iudicavit: „De Pajonistis non factis, quod dicam, habeo, nec κυρίας Pajonii aut discipulorum δόξας hactenus expendi. Videntur de Gratia sentire iusto tenuius, & immediatum DEI concursum in dubium vocare. Cum mihi tamen videatur, omnem in rebus perfectionem continuo quodam atque immediato influxu ex fonte divinitatis manare. Non quasi nulla sit in creaturis vis agendi, quod Malbranchio placuisse video, sed quod nullam agendo, in aliis efficiunt perfectionem, tantumque certam perfectionis a DEO datæ limitationem in objecto producant auctis minutisve impedimentis. Quod cum magni ad intelligenda DEI beneficia & officia nostra videatur, miror, tamen non satis considerari.



§. XI. *Momentum* doctrinæ hujus longe maximum est. Intimo nexu cohæret cum doctrina de naturali hominis pravitate & impotentia, de redemptione, de regeneratione, sanctificatione &c. Sine ea nec (*) principia salutis humanæ recte constitui, & nec Redemptionis Christi vis & fructus, nec summa DEI in nos beneficia, nec nostra, quæ ex illis pendunt, officia gravissima &c. cognosci & intelligi recte possunt. Sine ea vera Religionis christianæ indoles consistere nullo modo potest. Duo (***) sunt præcipua religionis revelatæ dogmata: unum, de Christo, ejusque Redemptione; alterum, de Spiritu Sancto & opere sanctificationis. His reliqua cohærent omnia. His maxime a religione, quam ambigue vocant, naturali distinguitur. Hæc qui infestant, revelationi, si quam admittunt, nil relinquunt aliud, nisi quod religionis, quam ipsa etiam Ratio humana doceat, officia horumque fundamenta clarius & plenius exponat, novaque firmet auctoritate, ac forte novis etiam & præstantioribus motivis; id fere agunt, ut religionem sibi fingant, mysteriorum expertem, corruptæ rationi probabilem, philavitiæ ac superbæ naturali non nimis inimicam.

(*) *Tria* a Theologis recte constituuntur salutis humanæ principia: Amor & benevolentia Patris; Redemptio Filii; & gratiosa operatio Spiritus Sancti. Et admirandam hanc Gratia oeconomiam ipsa etiam Scriptura non modo tota ubique docet, sed pluribus etiam locis tria ista verbis accommodatissimis simul enunciat & sapientissime conjungit. e. g. 2 Cor. XIII. 13. 1 Petr. I. 2. Eph. II. 18. Indissolubilis est trium horum principiorum *nexus*; nec absque eo recte cognito salva esse potest sanctissima doctrina salutis.

(**) Gravissime id ipsum monent etiam LL. symb. p. 503.

§. XII. *Quod* Spiritus S. non modo doctrinam salutarem in scriptura nobis proponat, (§. V.) sed etiam, ut salutis per Christum partæ participes fieri possimus, speciali, supernaturali & gratioso influxu suo efficiat, hæctenus (§§. B 3 VI—IX.)



VI—IX.) docuimus. Nunc II.) *quid* operetur, ostendendum est. Summa rei iisdem illis §§is jam continetur. Sed *quibus actibus* opus illud suum peragat, paulo specialius jam ut exponamus, necesse est.

§. XIII. *Generatim*, ut Redemptio humani generis à Filio DEI, Mediatore nostro consummatissimo, præstita est, ita (*) *sanctificatio* hominum peculiariter Spiritui S. in scriptura tribuitur, Ejusque opus est œconomicum. (1 Petr. II. 2. Tit. III. 5. 2 Theff. II. 13. Rom. XV. 15. conf. §. III.) Quod si actus & operationes Spiritus Sancti, quas Ei Scriptura S. pluribus in locis aliis (§§. VII. & IX.) tribuit, studiose recogitamus, planum est & indubitabile, vocis hujus, cum una universum Spiritus S. opus exprimit, eam vim atque latitudinem esse, ut *omnem* illam *mutationem spiritualem* (**) *internam*, qua ad beatam cum DEO & Salvatore communionem opus est, (conf. §. III.) complectatur.

(*) Conf. LL. symbb. p. 496. sq.

(**) Interna hæc mutatio dici etiam solet *physica*; quæ *moralis*, qualis in justificatione locum habet, contradistinguitur. (vid IAGERI. Comp. p. 438.)

§. XIV. Quid ergo est sanctificatio? quæ notio ejus genuina & sensui scripturæ sacræ conformis? *Est* actus seu operatio (§. VIII.) Spiritus sancti gratiosa, qua hominem ab inhaerente pravitate (connata & peccando contracta & adaucta) ita liberat, (repurgat) & propensiones, ac facultates animæ omnes ita emendat, ut in Gratiâ receptus actiones suas internas & externas ad Voluntatem DEI in Christo sibi reconciliati conformare (seu, suæ erga DEVM in Christo sibi reconciliatum obligationi convenienter vivere) possit.

Obs. 1.) *Sanctitatis*, ut in hominibus esse debet, variae sunt variorum definitiones aut descriptiones. Recensere eas hoc loco, non convenit. Vid. e. gr. BENGELIUS, *Reden* 2c. p. 925. sq. SCHOMERUS, *Theol. Mor.* p. 33. MOSHEMIUS, *Sittentehre*, P. IV. p. 23. Observanda autem sunt hæc potissimum: 1.) *Recti & Virtutis* (si latiore sensu sumatur) gradus con-



constitui posse complures; (e. g. iustitia civilis, honestas naturalis &c.) 2.) nullum animi habitum, nullam actionem dici posse *sanctam*, nisi ex relatione ad Deum; PLATO & ex eo CICERO sanctitatem esse dicit scientiam colendi Deos, esse eam iustitiae partem, quæ suum DEO tribuit: Et egregie LEIBNITIVS: C'est une doctrine étrange, qu'on peut vivre saintement, sans connoître Dieu. Je veux croire, qu'on peut avoir quelque *vertu* apparente, qui n'ait aucun rapport à Dieu, mais la sainteté renferme, proprement parlant, ce rapport des vertus à celui, qui est la source de toute perfection. Epist. Leibn. a Kortholdo ed. T. I. p. 388. 3.) in omnibus actionibus liberis DEI habendam esse rationem; (1 Petr. I. 15. Col. III. 17. 23.) 4.) sanctitatem, internam & externam, animi & vitæ, *summum esse rectitudinis gradum*, & omnium Virtutum complexum; 5.) requiri ad eam, ut animus rite sit in DEVM directus, in omnibus actionibus in Eum intentus; 6.) positam eam esse in convenientia animi, habituum, voluntatis, propensionum, & actionum omnium cum Voluntate DEI, imo & in consensu cum perfectionibus DEI; complecti eam omnia, quæ ad cultum DEI cum internum tum externum, directum & indirectum, pertinent. Ex iusta horum omnium, actuumque Spiritus sancti, quos jam vidimus, (§. VII. & IX.) specialium consideratione nascitur illa, quam dedimus, *sanctificationis* definitio, plana, ut puto, adæquata, applicatu facilis, & fecunda. (conf. Rom. XII. 2. 1 Cor. VI. 11. 1 Petr. I. 15.) Dicit etiam possit breviter, si verba in omni suo ambitu sumantur, collatio virium sancte vivendi; (vid. B. HOFFMANNI Synops. Theol. maj. 764. sq.) &, simili modo, renovatio ad imaginem DEI. (Eph. IV. 23. 24. Col. III. 10.)

2.) Rem ipsam eximie exprimunt LL. symb. his verbis: Quare sanctificare nihil est, quam ad Christum adducere, ad suscipiendum bona per Christum nobis parta, ad quæ per nosmetipsos nunquam pervenire possemus.



§. XV. Docet scriptura porro *speciatim*, quid in singulis *animæ facultatibus*, primariis maxime, Spiritus S. operetur & efficiat. 1.) Ut Spiritus Veritatis (Ioh. XIV. 17.) & sapientiæ (Eph. I. 17. Ef. XI. 2.) *mentem illuminat*; oculos mentis aperit, & lumen spirituale in animo accendit; (A& XXVI. 18. Eph. I. 17. 18. 2 Cor. IV. 6.) salutaris, atque ideo vera & viva, rerum spiritualium notitia, sapientia spiritualis, viresque omnes res divinas & ad salutem animæ pertinentes recte intelligendi, judicandi &c. charismata & gratiæ Illius effectus sunt. (ibid. & 1 Cor. XII. 3. 8. 11. 1 Joh. II. 27. Hebr. V. 14. 1 Cor. II. 14. 15. coll. v. 12. Eph. I. 8. coll. v. 7. 1 Cor. I. 5. coll. v. 4.) Porro 2.) Non *Voluntatem* modo, sed totum *Cor* regenerat & renovat, duritiem ejus naturalem frangit, sensus ei motusque, affectus & propensiones novas, spirituales, sanctas ingenerat, dona collata conservat, & continuo magis adauget. (Ezech. XXXVI. 26. 27. 2 Cor. IV. 13. Rom. V. 5. XV. 13. Zach. XII. 10. Eph. III. 16. 1 Petr. II. 2. 3.) Præterea 3.) Pax DEI, atque ideo animi & *conscientiæ* tranquillitas, & certitudo de gratia DEI & amore ejus paterno futuraque beatitudine testimonio Ejus interno & gratiæ obfignanti tribuitur. (Rom. XIV. 17. XV. 13. V. 5. VIII. 16. Eph. I. 13. 14. IV. 30.) unde & illud porro intelligitur, ab ipso etiam & sensum gratiæ divini ingenerari animo, & suæ erga DEVM obligationis & recti bonique sensum effici continuo puriorem, teneriorem, efficaciorum. (conf. Rom. IX. 1. Hebr. V. 14.) Ac, quia regeneratio & renovatio, ac tota nova indoles spiritualis Ipsi (n. 1. 2.) debetur, omnes etiam 4.) *Virtutes* vere christianæ, ut fructus fidei & spiritûs, ac veræ sanctimoniæ partes, (§. XIV.) gratiæ Ejus effectus sunt. (Zach. XII. 10. Ef. XI. 2. Galat. V. 22.) Tandem, ut in fidelibus & regentis habitat (§. VII.) ita eos etiam 5.) *regit* & *gubernat*, lumenque & vires ad *actiones* divini voluntati consentaneas impertitur, atque ubi opus, speciali etiam instinctu motuque ad eas impellit. (Ps. CXLIII. 10. Rom. VIII. 14. 15. 26. Luc. II. 27. 2 Cor. IV. 13.)

Obf.

Obf. Hæ sunt illæ Spiritus S. operationes, quas scriptura omnium maxime & plenissime docet. Distinctus explicare singulas, magna utique et insignis pars est cognitionis theologicæ vere scripturariæ. Pertinet vero plenior illa et explicatio doctrina ad specialem de singulis actibus Gratiæ tractationem, et sensus requirit exercitatos. (Hebr. V. 14.)

§. XVI. *Actus* igitur *Gratiæ applicatricis*, si singuli in scriptura s. commemorati respiciantur, tam multi sunt, ut numerus eorum iniri vix possit. *Primarii*, qui distinctis capitibus exponi solent, hi fere sunt: Vocatio, (§. V.) Illuminatio, (§. XV. n. 1.) Conversio & regeneratio, (§. XV. n. 2.) Justificatio; (Rom. III. 23. 24.) Renovatio seu sanctificatio, sensu strictiore sumta; (§. XV. n. 2. 4. 5.) quos omnes sequitur tandem glorificatio. (Rom. VIII. 30.) Ad hos complures alii referri facile possunt: adoptio, gratiosa inhabitatio SS. Trinitatis & unio mystica, obsignatio, conservatio, corroboratio &c. Primarios illos duo maxime loca illa, Act. XXVI. 17. 18. Rom. VIII. 28—30. simul exhibent, mirabili ordine & nexu dulcissimo coherentes.

Obf. 1.) Ab his actibus & effectibus suis gratia ipsa dicitur vocans, revocans, illuminans, convertens, regenerans, justificans, sanctificans, obsignans, corroborans, perficiens &c. In se (*pricipiative* spectata) gratia est *una*; cum *varia* esse dicitur, (*terminative* spectatæ,) denominatio sumitur ab effectibus, intentis, aut & obtentis.

2.) *Glorificationem* ad officia & opera Spiritus S. ipsi etiam referunt LL. symb. p. 501. seq.

§. XVII. Quia justificatio actus forensis est, (Rom. VIII. 32. 33. 34. IV. 5. 6. 7.) reliqui autem actus illi (§. XV. XVI.) ad mutationem seu emendationem hominis internam pertinent; gratia applicatrix (conf. §. IV. cum Obf. 1.) dici recte potest, alia *medicinalis*, alia *forensis*.

Obf. 1.) *Medicinalis* cum dicitur, (e. g. a DANHAVERO, Hodos. Christ. Phæn. IX. p. 843. & JÆGERO, Comp. p. 174.) late sumitur vox, (æque ac, *auxilium gratiæ*.) vid.



Ægid. HUNNII Opp. lat. T. I. p. 494.) atque ipsam etiam vivificationem hominis spiritualem complectitur.

2.) Liberari homo debet & a reatu peccati & labe ipsa ac pravitate inherente. Hinc duplici illa gratia, & forensi, & medicinali, omnino opus est. (conf. §. III.) Indolem utriusque, ordinem, nexum, necessitatem, usum &c. brevissimo compendio exhibet Joach. LANGIVS, in Oecon. Sal. p. 312. 313.

§. XVIII. Gratia Spiritus Sancti i.) tota medicinalis est. (§§. III. XIII. XV.) 2.) justificatio rectissime quidem ad gratiam DEI applicatricem (§. IV.) refertur, quia in ea meritum Christi homini impuratur & remissio peccatorum confertur; (2 Cor. V. 17. 21. Rom. IV. 6. 7.) sed 3.) ad gratiam Spiritus S. applicatricem (§. IV. XIII.) proprie pertinet gratiæ justificantis obsequio in corde fidelium, efficacissima & dulcissima de remissione peccatorum, de adoptione, de futura beatitudine &c. restitucio. (Rom. VIII. 15. 16. Eph. I. 13. IV. 30.) Quod si igitur 4.) contrahere in unam (*) summam brevissimam velis omnia quæ gratia Spiritus S. applicatrix efficit, dici recte potest, per eam hominem a.) ad omnia omnino bona, per Christum parta, recipienda aptum atque idoneum, capacem, & b.) simul illorum omnium, quæ ad internam hominis perfectionem pertinent, actu participem reddi. Tantum confert ad animæ nostræ salutem, omnemque, quam regnum & gratiæ & gloriæ habet, beatitudinem! Mirare iterum iterumque & gratissimus venerare nexum Trium principiorum salutis (§. XI. not.) sanctissimum & indissolubile!

(*) Conf. omnino Libros symbol. p. 496. seq.

§. XIX. Recte etiam & utiliter dicitur, quod (*) gratia (Spiritus S. applicatrix) alia sit *assistens*, alia *inhabitans*. Fundamentum rei evidens est. Centrum actuum gratiæ justificatio, (§. XVI.) & mutationis salutis internæ fides est. (Rom. III. 30.) In fidelibus vero & justificatis habitat Spiritus Sanctus; (§. VII. c.) ante fidem igitur non male dicitur (**) assistere.

tere. (Apoc. III. 20.) *Utilis* (***) etiam est illa operationum Spiritus S. distinctio, cum ad intelligenda facilius haud pauca Scripturae loca, (e. g. Joh. XIV. 17. Luc. XI. 13.) tum ad cavenda erronea de conversione sua judicia. *Effectus gratiae* (***) *assistentis, primi*, qui quidem sentiri & percipi ab homine possunt, sunt sanctae quaedam cogitationes in mente & primi boni motus cordis; *terminus* vero est fides, justifica. Hanc, indivulso nexu sequitur, & remissio peccatorum, & (***) *donum Spiritus Sancti*, ut gratiose jam in ipso corde hominis habiter. (Act. II. 38. V. 32.)

(*) Planius res & distinctius enunciari hoc modo potest: Operationes gratiosas alias esse *Spiritus Sancti* ut *assistentis*, alias ut *inhabitantis*.

(**) Quousque homo per veram seriamque poenitentiam Christum pulsantem non audiverit, nec fores ei cordis sui per salutarem fidem, in sufficienti cognitione Christi & firma in meritum ejus fiducia consistentem, aperuerit, non inhabitat hominem, sed quasi extra eundem stat, seu assistit eidem, ut qui pulsat (Apoc. III. 20.) domui assistit. Ut autem, qui domui assistit, eandemque pulsat, non absens est, neque otiosus, sed *praesentissimus* & *negotiosissimus*, ita tamen, ut praesentia sua, & negotiosa operatione consortium suum & favorem offerat tantum, non dispenset, antequam intromittatur: ita Christus & Spiritus S. quanquam dum in convertendo, praeparando, perficiendo occupatus est, non sit in homine, tanquam domicilio suo, cui gratiam suam justificantem & sanctificantem dispenset, tamen non abest ab homine, multo minus nihil ei negotii cum homine intercedit, sed praesens ei adest, omnemque in eum convertendum operam impendit. Ita FECHTIVS, de ordine modoque gratiae divinae, Aph. XII. Conf. porro WERNSDORFI, Assertio sanae doctrinae de gratia Spir. S. docente. Propos. I. in Dissp. Acad. Vol. I. p. 102. seq.

(***) Utilis est haec distinctio etiam ad recte intelligenda & concilianda verba *Aug. Confess. Artic. V.* (per verbum &



sacramenta, tanquam per instrumenta, *donari Spiritum S. qui fidem efficiat*) & Art. XX. (*per fidem accipi Spiritum S.*) Nimirum „*dari* dicitur Spiritus S. vel ratione *assistentiæ* „ tantum, vel ratione *inhabitationis*. Priori modo datur „ ac præsens etiam est Spiritus S. *non-renatis* ac creditur, „ dum eos incipit regenerare, sibi que domum „ præparat, quam inhabitare possit, & corda nostra „ per verbi prædicati sensus acceptos idonea reddit ad „ sui susceptionem. Posteriori autem modo *credentibus* „ datur tantum. Quando enim Spiritus S. per assistentem gratiam suam hominem præparavit, eique vires „ largitus est, atque easdem excitat, ut gratiam, quam „ Spiritus intendit, fidei proponit atque offert, ad se „ jam recipiat; tunc etiam per inhabitationis modum „ accedit, ac præsens fit Spiritus S. singulari modo, credentemque ita per Fidem inhabitat cum Patre & Filio. „ Ita Jo. Bened. CARPZOVIVS in Isäg. in LL. Eccl. Luth. symb. p. 251. seq.

(***) Divisiones gratiæ *assistentis* ultiores (in prævenientem, præparantem & operantem seu efficientem) traduntur & exponuntur in Loco de Conversione; & divisiones gratiæ *inhabitantis*, in adjuvantem, perficientem &c.) in Articulo de Sanctificatione. Conf. c. XVI. Obs.

(****) *Duo hæc*, quod dignum est observatu, *primaria* sunt dona gratiæ, quæ *fidelibus* obtingunt. Ex his duobus reliqua, ad statum ac beatitudinem, cum gratiæ, tum gloriæ spectantia, pendent & fluunt omnia. Recole animo, quæ §. I. Obs. 2. deinde §. III. & h. l. notamus; atque iterum intelliges & veneraberis nexum & ordinem bonorum spiritualium mirabilem.

§. XX. Porro, quia fidem vitamque spiritualem DEVS ac Sanctus ejus Spiritus operatur solus, (§. IX.) fideles autem, vita jam viribusque spiritualibus præditi, ipsi etiam operari, actionesque sanctas, cum internas, tum externas, edere



edere possunt; (§. XV.) haud minus recte gratia (Spiritus S. applicatrix) dividitur in *operantem* (*) & *cooperantem*.

(*) *Operans*, cum cooperanti contradistinguitur, æque late patet, ac gratia assistens. Strictiore sensu sumitur vox, cum prævenienti, & præparanti contradistinguitur. Vid. §. XIX. not. ***.

§. XXI. Ex iis, quæ de operationibus Spiritus S. hucusque exposita, legitimisque firmata sunt argumentis, facile jam & intelligi & probari potest ea, ad quam ordo nunc nos deducit, maximi ad ipsam quoque praxin justamque salutis curam momenti, multisque modis vexata, doctrina: III.) quod *organon* Spiritus Sancti, seu *medium*, per quod salutarem hominis mutationem operatur, sit *Verbum DEI*.

Obf. 1.) Media salutis sunt Verbum & Sacramenta. Sed *Sacramentorum* indoles atque efficacia, quoad singularis atque illis propria est, generaliore hac, quam pro instituti ratione tradimus, de grat. Sp. S. applicatrice, doctrina comprehendi commode non potest.

2.) Quod *gratia* quædam *pedagogica*, præveniens, influxus aliquis gratiosus, etiam cum *vocatione per naturam* conjunctus sit, in Loco de Vocatione docetur.

3.) Præter *Naturalistas*, qui omnia ad naturam referunt, *Enthusiastæ*, qui in alterum extremum prolabuntur, præcipui doctrinæ hujus adversarii sunt. *Enthusiastæ* autem sunt, "qui fingunt, DEVM immediate, absque verbi DEI auditu, & sine Sacramentorum usu, homines ad se trahere, illuminare, justificare & salvare. Ita Libri Symb. p. 581. Spiritus, qui jactitant, se ante Verbum & sine Verbo Spiritum habere, & ideo Scripturam sive vocale verbum judicant, flectunt & reflectunt pro libro. p. 331." Hodie, quo magis Naturalismo, crassiori aut subtiliori, quis favet, & Rationis imperium dilatare cupit, tanto latiore sibi format, aliisque suggerere allaborat, notionem Enthusiasmî. Iniquum vero est, anathemata illa, quæ Libri Symbolici haud ita immodera-



te enunciant, vibrare in eos, quibus pro suo quisque ingenio Enthufiasmi notam inurit.

§. XXII. Doctrina graviffima hoc ordine, puto, commodiffime traditur: 1.) Quos a speciali Spiritus S. operatione proficifei vidimus effectus, (§. XV.) *idem ipsi* tribuuntur etiam Verbo DEI. Dicitur illuminare, (Pf. XIX. 8. 9. Aët. XXVI. 18.) regenerare, (1 Petr. I. 23. Jac. I. 18.) fanctificare, (Joh. XVII. 17.) sapientem reddere hominem, (2 Tim. III. 15.) & ad omne bonum opus idoneum; (2 Tim. III. 17.) imo, uno verbo, omnia complectente, falvare animas. (Jac. I. 21.) Deinde 2.) ad hos ipfos effectus producidos *vim* atque efficaciam Verbum DEI habere *intrinfecam*, feu *sibi infitam*, & verbis afferitur planiffimis & fimilibus omnis generis significantiffimis. Dicitur enim Verbum vivum, (1 Petr. I. 23.) vivum & efficaciffimum, (Hebr. IV. 12.) fpiritu & vita plenum, (Joh. VI. 63.) potentia DEI ad falutem; (Rom. I. 16. 1 Cor. I. 18. 21.) Vocatur *semen*, vivum & incorruptibile, lux, ignis, pluvia, cibus, malleus &c. (1 Petr. I. 23. Matth. XIII. 8. 23. Jer. XXIII. 29. Pf. CXIX. 105. Ec. LV. 10. 11. 1 Petr. II. 2.) Ex his (n. 1. & 2. & §. XV.) confequitur evidenter 3.) Deum ipfum, ac peculiariter Spiritum Sanctum, illuminare, regenerare &c. homines *per Verbum*, hoc Illius effe *organon*, ipfamque DEI *vim* feu virtutem, *efficaciam atque operationem Ipfius Spiritus S.* fpecialem & gratiofam cum Verbo effe *conjunctam*, eique *intime unitam*. (conf. omnino §. VIII & §. IX. d. e. locaque Scripturæ ibid. allegata.) confequitur & illud, 4.) recte dici, *Vim* atque efficaciam Verbi divini non effe mere fignificativam, aut logico-moralem vel moraliter fuaforiam modo, fed effectivam, phyficæ-analogam, fupernaturalem, divinam. Atque ita analogia quoque Scripturæ fentum prædicatis Verbi DEI illum liquido afferit, quem genuina verborum vis atque potentia exigit. e. g. cum dicitur Verbum DEI vivum, divina virtute animatum, (1 Petr. I. 23. coll. 1 Theff. II. 13.) *divinus* &c., divina virtute plenum, organum divinæ potentia effi-

cacissimum, (Rom. I. 16.) Verbum vitæ, (Phil. II. 16.) salutis, (Act. XIII. 26.) vitæ æternæ (Joh. VI. 68.) spiritus & vita. (Joh. VI. 67.)

Obf. 1.) Duo potissimum sunt errores, qui e diametro fere inter se oppositi dogma hoc primarium circumstant; quorum alter RATHMANNO, nostræ Ecclesiæ, alter PAJONIO, Ecclesiæ Reformatæ Ministro, adscribitur. Herm. RATHMANNVS intrinsecam Verbo efficaciam detraxisse, & salutare omnes effectus Spiritui Sancto, non tam *per* verbum, quam *juxta* Verbum *immediate* operanti, tribuisse videtur. Quam diversa vero de controversia RATHMANNIANA Theologorum & antiquiorum & recentiorum sint judicia, satis superque constat. Vid. e. g. B. WEISMANNI nostri Hist. Eccl. T. II. p. 990. sqq. & Institut. Theol. p. 117. sqq. S. Rev. WALCHII, Einleitung in die Rel. Streit der Ev. Luth. Kirche c. IV. §. IX. p. 524. sqq. S. Rev. D. Ein. SCHVBERTI, Institut. Theol. Polem. P. IV. p. 310. sqq.

2.) Claud. PAJONIVS Spiritus S. operationem verbis retinens reipsa tollebat. Spiritum Sanctum, asserebat, agere quidam efficaciter in mentes, eas illuminando, & in corda ac voluntates, eas potenter inflectendo, sed operatione *tantum mediata*, per verbum & externa alia media, *sola vi & efficacia rationum & motivorum*, quæ in Verbo nobis proponit, atque etiam occasionum & circumstantiarum, quas gratia dispensat. Atque ita vim divinam, efficaciam atque operationem Spiritus S. cum Verbo conjunctam negabat, & vim Verbo moralem tantum, seu moraliter suasoriam, concedebat. Docet id satis copiose Frid. SPANHEMIVS F. in Elencho controversiarum, p. 371 — 389. eique (cum nullum PAJONII scriptum exeret, quo suam ipse sententiam exponat,) tanto magis haberi fides potest, quod & certa penes se documenta fuisse, & seipsum Synodi Walonicæ Rotterodamensis, in qua A. 1686. damnatus est Pajonismus, partem fuisse memorat. p. 372. & 388.

3.) de



3.) de Arminianis nil dicam. A PAJONII sententiâ quod opiniones illorum haud dissent, ex primariis illorum scriptis ostendere nititur G. G. ZELTNERVS, in Breviario Controv. cum Remonstr. p. 298. sq. Melior fuit ipsius ARMINII mens. Ita enim ille: Quum de vi & efficacia Verbi DEI sive pronuntiati sive scripti agitur, semper Spiritus S. præcipuam & concurrentem efficacitatem illi adjungimus, vid. Opera ejus Theologica, p. 275. Et *Confessio Remonstrantium* his verbis sententiam suam enunciat: „ Homo in statu peccati nihil boni, quod quidem salutare bonum sit, ex se ipso vel a se ipso, vel cogitare potest, „ nedum velle aut facere: sed necesse est, ut a DEO, in „ Christo, per *Verbum Evangelii*, *eique adjunctam Spiritus S.* „ *virtutem* regeneretur atque totus renovetur. c. XVII. §. 5. Conf. porro, *Apologia Remonstrantium*, (ed. A. 1630.) p. 28.

4.) Illud mirabile est, esse in nostra Ecclesia, qui, cum hypotheses fovere arguuntur Pajonismo admodum affines, Rathmannianismi & Enthusiasmi culpam illis impingunt, qui cum Theologis, orthodoxæ symbolicæ tenacissimis, vim, efficaciam, operationem Spiritus S. cum Verbo *conjunctam* esse docent. At nec illi docuere unquam, ipsum Scripturæ sensum (formale verbi) esse divinam & supernaturalem Verbi divini potentiam, nec formæ sanorum verborum a piis Confessoribus traditæ novum illud *evangelium* congruit. *Libri Symbolici* non illis modo verbis, quibus Pajonius etiam uti, vel abuti, possit, utuntur, Spiritum S. *per verbum* illuminare, regenerare &c. homines, sed disertius doctrinam sanam ita enunciant: „ Ad conversionem efficiendam Spiritus S. uti solet prædicatione & auscultatione Verbi „ DEI. — Huic *Verbo adest* *presens* Spiritus Sanctus, & „ corda hominum aperit &c. p. 579. seq. „ Prædicatio „ verbi DEI, & ejusdem auscultatio, sunt Spritus Sancti „ *instrumenta*, *cum quibus & per que* efficaciter agere, & homines ad Deum convertere, atque in illis & velle & perficere operari vult. p. 670. sq. Atque his consentanea sunt omnia,

omnia, quæ hac de re deprehenduntur in LL. symbol. testimonia. conf. §. XXIII. Obf. 1. 2.

§. XXIII. Sed ad penitioem dogmatis hujus intelligentiam observari omnino debet: 1.) Vim illam divinam & operationem Spiritus S. non *litteris*, sono, syllabis, inhærere, sed conjunctam esse cum sensu, cum veritate proposita, (Joh. XVII. 17.) cum ipsa doctrina salutis; (Rom. I. 16.) eamque ideo se non exerere in animo hominis, nisi 2.) cum significatus verborum *percipitur*, & sensus *intelligitur*, 3.) sive legatur, aut audiatur verbum, sive *animo recogitetur* & intus expendatur. (Rom. X. 17. Jac. I. 21.)

Obf. 1.) Ita LL. symb. vid. §. XXII. 4. Et: „Vterque
 „ certo sciat, si verbum DEI, — pure & sincere prædica-
 „ tum fuerit, & homines, diligenter & serio *auscultaverint*,
 „ illudque *meditati* fuerint, certissime Dominum gratia sua
 „ *presentem* adesse, & largiri ea, quæ homo alias suis propriis
 „ viribus neque accipere neque dare potest, p. 671. sq.

2.) Aperit Spiritus S. ostium per verbum non auditum
 „ tantum & lectum, sed *intellectum* quoque atque *ad ani-*
 „ *um revocatum*. Nec enim nuda lectio & auditio verbi
 „ vi quadam magica, ipsis syllabis & litteris indita, agit,
 „ sed mediante vero ejus *sensu*, & consideratis, quas com-
 „ plectitur, *rationibus*, quibus (non vero nudis vocibus
 „ & syllabis) divina supernaturalis virtus adstricta est.
 „ FECHTIVS, de vera rerum sacrarum notitia. p. LXXI.

§. XXIV. Jam IV.) de *Ordine modoque gratiæ* (Spiritus S. applicatricis) ea, quæ præcipue observanda sunt, videbimus. Nimirum in efficienda *per Verbum* (§. XXI.) salutari mutatione hominis ordinem modumque illum gratia tener, qui 1.) *naturæ* animæ intelligentis, rationalis & liberæ, consentaneus est & *conveniens*. Eò spectat, quod a.) res, quarum *notitia* ad salutem opus est, verbis ad eas significandas aptis & intelligibilibus proponit; quod b.) ut doctrinas sanctissimas & saluberrimas animo persuadeat, eumque ad *assensum* adducat, rationes etiam adjungit eique ingerit sufficientissimas, vel generales, (universalis vero & generalissima est DEI

D

di-



dicentis auctoritas,) vel & speciales; quod c.) in conscientia quoque, quam rectum, iustum & æquum sit, quod DEVS ab homine exigit, lucide satis & efficaciter ei insinuando, summæ & sanctissimæ suæ erga DEVM obligationis sensum excitat & perficit; quod simul etiam, d.) ut Voluntatem ad consensum & obsequium adducat, efficacissima cordi motiva adhibet, non repræsentando tantum bona maxima & mala gravissima, sed sensum quoque eorum vividissimum ei imprimendo. Simili modo fidelem e.) ad animi & conscientie tranquillitatem (§. XV.) bonorumque, quorum in Christo participes est, lætam & beatam fruitionem perducit. Plenum enim cum Verbum DEI sit rationibus; motivis, promissionibus, comminationibus &c. planum est ac minime dubium, his, tanquam mediis (§. XXII.) uti Spiritum S. ad effectus eis convenientes sua Iplius virtute (§. VIII. & XXII.) producendos.

Obf. 1.) Patet ex his, veras esse, si recte intelligantur, sententias illas, quæ axiomatum fere loco haberi solent: a.) Gratia non tollit, sed perficit naturam. b.) Gratia non evertit naturæ ordinem, sed eidem & ipsa convenienter agit. c.) Operationes & effectus gratiæ supra vires naturæ sunt, sed ordini & legibus naturæ generalibus non adversi.

2.) Legi meretur & ad hanc potissimum partem pertinet præclara de operationibus gratiæ ordinariis Frid. WAGNERI, S. Rev. Senioris Hamburg. meditarii, LYSERI, HÜLSEMANNI, MVSÆI, testimoniis munita, Allgem. Betr. über die göttl. Geheimnisse der chr. Rel. p. 131. sqq. Ac vid. etiam LL. Symb. p. 673.

§. XXV. Plana sunt ista, & utilitatem habent non conremnendam. Absit vero, ut existimemus, regulis & legibus psychologicis istis, quas in actibus & operationibus animæ naturalibus observare nobis & distinctius cognoscere licet, ita adstrictam esse gratiam, ut ordo modusque operandi, actusque ejus supernaturales, ex (*) istis plene intelligi possint. Pleraque in illis inexplicabilia sunt, & omnem mentis nostræ

stræ aciem fugiunt. (Joh. III. 8. Hebr. IV. 12.) Pauca quædam ad id quodammodo declarandum notabimus. 1.) *Prima* perceptionum, motuum, atque actionum *principia*, modumque & ordinem agendi, quem sequuntur, intellectus noster non assequitur, sensusque internos, facultates percipiendi, sentiendi, agendi, Scriptura hinc inde attingit, quas distincte cognoscere & inter se atque ab aliis accuratius secernere in nostra potestate non est. (Hebr. IV. 12. V. 14. Phil. I. 9. 1 Petr. II. 3. 2 Cor. II. 15. 16. Eph. IV. 23. 1 Cor. XIV. 14.) At vero 2.) *omnes* animæ facultates, & activas & passivas, & *intimas* quam maxime, complectantur & afficiant, necesse est, operationes gratiæ, quæ hominem *regenerare*, quæ *spiritum mentis* renovare, quæ *novum cor creare*, quæ *lumen, vitam, viresque* novas homini conferre dicitur. Vnde porro consequitur, 3.) vim atque operationes gratiæ multas *sentiri* quidem, ac sensu interno percipi, at non æque *intelligi* posse; (Rom. VIII. 26. 27. V. 5. Gal. IV. 6. Hebr. IV. 12. 1 Petr. II. 3. 2 Cor. II. 15. Phil. IV. 7. (**). Act. XVIII. 5.) imo esse etiam, 4.) quæ non modo non intelliguntur, sed *nequidem sentiuntur*. (vid. LL. Symb. p. 672.) Neque is est ordo gratiæ, ut 5.) (***) sensum & experientiam rei antecedere semper debeat notitia illius & intelligentia idealis. Tandem, 6.) ut Verbum DEI semen est, divina Spiritus S. virtute animatum, ita cœlestis veritas, (****) rite admitta, tanta vi saepe totum & animum & cor & conscientiam ac tam subito afficit, ut salutaris mutatio consequatur, & effectus, ex illis, quæ psychologia vel empirica vel rationalis nos docet, nullo modo explicabiles. Exempli loco esse potest subita & mirabilis haud paucorum, quos & Acta Apost. & alia quæque fide dignissima historiarum monumenta commemorant, conversio.

(*) „Operationes gratiæ Spiritus S. neutiquam (ita, exquisitè, rem exprimit S. Rev. D. F A B E R) in directione intellectus & Voluntatis secundum regulas logico-ethicas subsistunt; — sed ad prima motuum & actionum principia sese penetrant. — Minimum est, quod de



„virtute Spiritus S. nos prævenientis, pulsantis, illumi-
 „nantis, regenerantis, redarguentis, consolantis, *πλη-*
 „*ροφία* fidei imbuentis, sanctificantis, pro nostra im-
 „becillitate intercedentis, amore DEI in Christo nos
 „perfundentis, nos obsignantis & ad lætissimam æter-
 „nitatis spem erigentis, intelligitur, & ad iudicii vel
 „ratiocinii nostri calculos reducitur.” Citantur deinde
 dicta Scripturæ permulta, quibus hoc additur epiphona-
 „nema: „quis dubitet, ejusmodi operationes Spiritus
 „Sancti, quales in hisce oraculis commemorantur, in-
 „timi potius sensus, quam intellectus vel nudæ cogni-
 „tionis objecta esse! Diss. de sensu morali Spiritus S. of-
 „ficina. p. 23.

(**) Monitum pietatis & prudentiæ christianæ egregium est,
 quod GNOMON BENGELII habet ad h. l.

(***) Dilucidavi id quodammodo in Diss. De usu Experien-
 tiæ spiritualis in interpretatione Scripturæ S. §§. XXVI
 — XXIX. LVII.

(****) Rem maximi momenti, pro ea, qua pollebat, rerum
 divinarum intelligentiâ, aliquanto uberius declaravit B.
 BENGELIUS, Anhang (ad vers. germ. N. T.) VII. Abth.
 §§. 12 — 16.

Obf. Nil dicam speciatim de operationibus gratiæ in
 facultates & cognoscendi & appetendi, quas vocant, *infe-*
riores; atque etiam in *somno*, & *somniantibus*. Extat recen-
 tior S. Rev. D. BENNERI Diss. de gratia DEI ordinaria in
 somniantibus operosa. (quam, studiosè licet quæsitam, vi-
 dere mihi nondum contigit.) Prudenter & modeste sum-
 mam rei attingit B. SPENERUS, in Consil. Theol. Lat. P. I.
 p. 128.

§. XXVI. Primæ isti regulæ (§. XXIV.) proxime cohæ-
 ret illud, quod gratia applicatrix salutarem torius hominis &
 quarumvis animæ facultatum (§. XV) emendationem, non
 uno actu & momento, sed 2.) *successive*, per actus complu-
 res & *gradus* varios, iusto ordine sibi invicem succedentes,
 ope-

operatur & perficit. Constat id non ex Experientia tantum, sed quam maxime ex ipsius Scripturæ dictis & exemplis. (Marc. IV. 28. *) Act. II. 37. 38. XXVI. 17. 18. Eph. I. 17. 18. III. 16. 19. IV. 16.)

Obf. 1.) Afferitur hoc potissimum de gratia *ordinaria*. Successionem prorsus similem & longiora temporum intervalla *extraordinaria* & *immediata* revelatio, illuminatio &c. non exigit. (Act. II. 4.) *Conversionem* etiam, per Verbum, brevi admodum tempore, vi gratiæ singulari, fieri posse, exempla in Actis comprobant; sed tamen ipsa etiam *extraordinaria*, Pauli, sua habuit & initia & progressus, nec facta est plane in instanti. (Act. IX. 4 — 6.)

*) 2.) Ad cavendos varios dicti illius (Marc. IV. 28.) abusus rectissime notat Gnomon: Voce, *ἀνομίᾳ*, sponte sua, non excludi agriculturam & cœlestem pluviam follesque.

§. XXVII. Quum porro (quod alio in Loco plenius probatur) Benevolentia & gratia DEI universalis sit, ita ut ad salutiferæ veritatis agnitionem ipsamque salutem, per Christum partam, pervenire omnes velit; (1 Tim. II. 4. §. 6. 2 Petr. III. 9.) sequitur omnino, & sine summa in DEVM ipsum injuria negari non potest, quod 3.) gratiosis operationibus suis illum ipsum finem beatum *apud omnes* serio & sincere intendat, (Phil. I. 6.) atque etiam 4.) vim arque *efficaciam* eam adhibeat, quæ ad effectus omnes salutare successively (§. XXVI.) producendos *sufficiat*. Eadem enim est divina Virtus, (§. VI — IX.) eaque cum Verbo, omnibus æque proposito, intime unita, (§. XXII.) quam ad unam eandemque salutarem hominis emendationem inchoandam & perficiendam in omnibus adhibet. Imo alioqui ne inexcusabiles quidem dici possent, aut sua tantum ipsorum culpa mali & in fideles manerent, omnes & singuli, qui Verbo non obsequuntur.

Obf. Maximi momenti hæc Thesis est, & capitalis inter nos & *Reformatos* controversia. Hi enim eo etiam delapsi sunt, ut multas quidem supernaturales operationes



Spiritus Sancti (e. g. illuminationem, varios bonos motus cordis, fidem etiam aliquam, temporariam &c.) multis etiam ex illis, quos absolute reprobatos esse dicunt, contingere concedant, sed pertinacissime simul asserant, per illas *non intendere* DEVM id, ut ad conversionem & fidem salutarem perducantur, neque unquam illis dari gratiam eò *sufficientem*. Quæ in ipsis fiunt, fieri eum modo in finem, ut sint inexcusabiles. Solos absolute electos, contendunt, vocari *efficaciter*, & internam illam vocationem, quam vocant, quæ sola sit efficax, cum externa non semper coniungi. (vid. *Acta Syn. Dordr.* c. III. & IV. doctr. Art. IX. X. XI. & rej. err. VIII. Nic. GÜRTLERII Synops. Theol. Ref. L. II. c. III. §§. 11. 12. 16. 18. 24.) Quam gravis hic sit error, in Thesi nostra simul ostendimus. Quum verò totus ex errore eorum primario de absoluto decreto & gratia particulari pendeat, hoc everso, (quod in Artic. de Prædest. fit) totus simul corrui.

§. XXVIII. Quamvis vero ea sit gratiæ, quæ per Verbum homini applicatur, vis atque efficacia, (§. XXVII.) *modus* tamen operandi & salutare effectus producendi is non est, ut §.) *resistere* homo, id est, effectus ipsos salutare, quos (*) operatione sua gratiosa DEVS omnino intendit, in se ipso impedire non possit. Quod enim gratiæ a) & assistenti atque operanti b.) & inhabitanti ac cooperanti (§§. XIX. XX.) eo, quem modo diximus, sensu resistere homo possit, uti naturæ hominis rationali & liberæ convenit, (§. XXIV.) ita ex claris ac perspicuis Scripturæ testimoniis evidenter innoscit. (a.) Act. VII. 51. Matth. XXIII. 37. Ef. V. 1—4. Luc. VII. 30. Act. XIII. 46. XXIV. 25. b.) Eph. IV. 30. 2 Cor. VI. 1. Hebr. III. 12. 13.)

(*) Hoc ad Thesin, inprimis contra Reformatos, accurate constituendam omnium maxime pertinet. Declarabimus rem, quia maximum in ea momentum est, paulo plenius.

Obf. 1.) Mire tricatur Pet. MOLINÆVS. "Non dicimus, inquit, hominem trahi a DEO *vi irresistibili*. Est enim

enim vis irresistibilis, cui cum velis resistere, non possis. — Non disputamus de *viribus resistendi gratiæ*, quas sane inesse (etiam) piis & fidelibus, nostro damno sæpe experimur; sed de *impossibilitate eventus*; & pertendimus, fieri non posse, ut electus finaliter resistat, & per incredulitatem ad finem usque vitæ DEO obnitatur. — Sectarii *resistibile* id vocat, quod *potest impediri* & averri & superari; cum tamen aliud sit resistere, aliud superare. Vis irresistibilis est inoppugnabilis, non vero insuperabilis; resistentia denotat pugnam, non victoriam. — Nam *resisti* ab homine efficaciam Spiritus, nemo hactenus, quod sciam, *negavit*. Hæc similiaque plura habet ejus *Anatome Arminianismi* c. XLIX. p. 314 — 316.

2.) Planus atque apertius rem, ad mentem Synodi Dordracenæ, Nicol. GÜRTLERVS his verbis enunciat: „Converrit nos, trahit, ducit ac vocat, *eo modo*, quo omnia sua producere opera solet spiritus perfectissimus, voluntate *efficaci*, mandato *omnipotentis*. *Singulos DEI* nos convertentis actus certo sequuntur singuli in homine *effectus*; i. e. *quum DEVS vult*, ut attendamus ad Evangelium, certo cogitationes nostras in eo contemplando *defigimus*; ubi *vult*, ut Evangelii doctrinam percipiamus, *nequit fieri*, quin eam mente assequamur; tandem si *vult*, ut illum amemus, absque mora amamus. *Nam voluntati DEI resistere nemo potest*. Instit. Theol. c. XV. §. LXVII. — LXIX. Sic & cum ceteris Guil. AMESIVS: *Voluntas DEI est efficax*; quia, quicquid *vult*, dat effectum suo tempore, nec quidquam est, si velit, quod non fiat.” in Medulla Theol. L. I. c. VII. §. 38.

3.) Evidens ergo est, statuere Reformatos gratiam eo, quem diximus, sensu *irresistibilem*, (quamvis plerique vocare eam malint insuperabilem,) idque tam rigide, ut id ad quemvis actum gratiæ, cum operantis, tum cooperantis, extendant asserantque in universum, impossibile esse, ut effectus ullus, quem DEVS vult, actum gratiæ non consequatur, & eo quidem ipso tempore, quo DEVS vult. Nec statueretur



tuere id non possunt vi principi sui universalis & fundamentalis de Voluntatis divinæ (absoluta) efficacia.

4.) Mirabile vero est, & summopere dolendum, non videre Viros, etiam acutissimos & scripturæ amantissimos, dogma istud suum adversari clarissimis scripturæ testimoniis, & in nexu illo suo systematico spectatum funestissimas secum ferre sequelas. Nam ex eo re vera sequitur, (quod communi certe sensui repugnat) causam, cur plus boni non fiat, & minus mali, esse in ipso DEO, imo causam unicam esse, quod id DEVS non vult. Sequitur, quod mandata DEI plurima, plurimæ admonitiones, promissiones, evangelicæ inprimis, signa Voluntatis divinæ fallacia sint & illusoria. Sed hæc aliaque plura recte traduntur illis in Locis, ubi de Voluntate DEI & de Benevolentia ac Gratia DEI universali plenius agitur.

5.) Tandem, qui recte intelligit, a.) quod omnino DEVS alia efficere velit *absolute*, alia intra certum *ordinem* & sub his illisve conditionibus; b.) non sequi, quia DEVS sua ipsius divina *virtute* aliquid operatur, ideo id Eum efficere *absolute* & *modo* irresistibili; c.) sensum *locutionum* metaphoricarum, de nova creatione, resurrectione ex mortuis, similiumque, non esse ultra *limites*, in ipso Verbo DEI clare & aperte definitos, extendendum &c.; is ex pluribus ipsi objectis difficultatibus facilem habebit exitum.

§. XXIX. Ad ordinem gratiæ divinæ porro illud inprimis pertinet, quod 6.) *habenti datur*. (Matth. XIII. 11. 12. XXV. 29. Luc. VIII. 10. 18. Marc. IV. 28. Phil. I. 6.) Divini hujus canonis ea vis, is sensus est: progressum & incrementum donorum Gratiæ spiritualium & salutarium (lucis, vitæ, virium spiritualium; notiæ, fidei, sanctimoniam, sapientiæ &c.) pendere (vi divinæ promissionis mere gratitæ & ordinis benignissime a DEO constituti) ab admissione & receptione motuum atque effectuum gratiæ, quæ præcessit, ab exercitio atque usu recto & fidei donorum & virium gratiosè jam collatarum; operatio-

nes

nes Gratiae ultiores, incrementum boni largientes & efficientes, tum consequi, quando priores recte sunt admissae. In toto *regno naturae*, quaequid id nobis patet, tam physico, quam morali, hunc ordinem vigere, ut ex tenuioribus initiis omnia per continua incrementa ad metam suam perducantur, experientia constans & perpetua nos docet. Docere igitur nos ipsa etiam analogia & uniformitas viarum atque operum DEI, atque ipsa etiam ordinis, sapientiae, & iustitiae indoles & ratio potest, in ipso etiam *Regno Gratiae*, atque in universo DEI regimine legem istam quasi fundamentalem esse.

Obf. 1.) Ex illis, quae in §o hoc diximus, intelligi etiam potest & debet a.) regula illa Theologorum: Gratia agit pro receptivitate subjecti; & illa Augustini: b.) DEVS non deserit nisi deserentem.

2.) Per *habentes* (Matth. XIII. 12.) intelliguntur, qui ex praecedente auditu verbi aliquid habent. Et in genere verum est, promississe DEVM, si non excutiat primus bonus motus, se huic additurum esse majorem gradum. Habenti initia divinae gratiae, DEVS paratus est dare incrementa. Ira HÜLSEMANNVS, de Aux. Gr. p. 121. atque iterum: major copia gratiae non confertur ei, qui minorem repudiavit, quam poterat, assistente eadem gratia, non repudiare. Act. XXVI. 28. ibid. p. 256. Et FECTIVS: amplioris gratiae exercitium a bono usu primae suscipitur. Comp. Theol. Thetico-polem p. 524.

§. XXX. Vult nimirum DEVS, (praeter ea, quae ex ipso mundi rerumque naturalium intuitu recto rationis usu & ex conscientiae dictamine cognoscere, viribusque naturalibus, sub directione & influxu gratiae paedagogicae, praestare possumus,) ut, a.) cum *medium* salutis offert, cum Verbum suum homini impertitur, id audiat ac legat, ut animum quoque ad id advertat, ut id meditetur ac recte intelligere studeat, atque ideo etiam & doctrinas & rationes & motiva, (ob §. XXIV.) cum sincera inprimis & serua applicatione ad se ipsum, omni studio expendat. Id tota fere Scriptura, pluribus etiam mo-

E

nitis



nitis & præceptis specialibus, & exemplis docet. (Ps. I. CXIX. Luc. VIII. 18. Matth. XIII. 9. 23. XXIV. 15. Luc. II. 19. 51. Act. VIII. 30. 34. XVI. 14. XVII. 11.) Vult præterea omnino, ut b.) *operationes* gratiæ ipsas, cum animo, cor, & conscientiam afficiunt, penetrant, pulsant, trahunt, libens admittat & recipiat; cogitationes sanctas & motus bonos, quos excitat, non negligat aut suffocet, animum ab iis avertendo & carnalibus suis propensionibus indulgendo; veritati agnitæ obsequatur; & donis quibuscunque ac viribus spiritualibus, quas accepit, recte & fideliter utatur, ad fines a DEO intentos & in Verbo Ejus propositos, ad consequendum continuo majus cognitionis, fidei, ardoris, sanctimonix & Virtutum omnium incrementum. Hoc quoque & natura rei & rota Scriptura loquitur. (Matth. XIII. 12. 2 Cor. VI. 1. Hebr. III. 7. 8. Act. II. 7. 37. 41. X. 33. XVI. 14. XVII. 11. 2. Theff. II. 10 — 12. Act. XXIV. 25. XXVI. 28.) Vult etiam quam maxime, ut cum usu illo mediorem & exercitio virium acceptarum conjungantur c.) *preces*. (Matth. VII. 7. 8. Luc. XI. 13. Act. IX. 11.) Hæc talia cum homo facit, ex divina promissione gratiosa incrementa donorum & virium Spiritualium continuo majora certissime consequuntur.

Obs. Egregie & sapienter CHEMNITIVS: Spiritus S. operatur per medium seu organon Verbi, si legatur, audiatur, & cogiteretur: quod homo & debet, & aliquo modo potest facere. Nec infundit qualitates illas (bonas), sicut liquor in dolium infunditur; sed ita ut sequantur motus & actiones in mente & voluntate. Quando igitur Spiritus S. per verbum *cæpit* naturam sanare, accensa aliqua *scintilla efficacia & facultatis spiritualis*, licet renovatio non statim sit perfecta & absoluta, sed in magna infirmitate tantum inchoata: tunc tamen nec mens nec voluntas est otiosa, sed aliquos habent novos motus, quos etiam *debent exercere, meditando, orando, conando, luctando* &c. Exam. Conc. Trid. P. I. p. m. 218. Satis copiose quæstionem, „quomodo nos erga oblata media (gratiæ) gerere, & iis
„quo-

„quomodo uti debeamus”; ipsi etiam *Libri Symbolici* tractant, p. 669. sqq. & imprimis p. 672. 673. add. BREITHAVPTI Instit. T. II. p. 15. (a.)

§. XXXI. Intelligi ex his etiam potest, 1.) *quo modo* & quam *varia* ratione homo gratiæ *resistat*. Resistit, i. e. facit, ut effectus salutares a DEO intenti non consequantur, cum sive quoad *medium* salutare, sive quoad *operationes* ipsas gratiosas, vel omittit ac negligit ea, quæ ordini gratiæ convenienter facere tenetur, (§. XXX.) vel ea plane, quæ istis opposita sunt, facit. Quænam eo pertineant (*) speciatim, facile videre quilibet potest. Intelligitur, 2.) velle DEVM, idque omnino ad ordinem salutis pertinere, ut facultatibus, viribus, & donis, cum *naturæ* tum *gratiæ*, recte utamur. Sed illi actus omnes, qui ex naturæ viribus præstantur, (e. g. Evangelium audire & aliquo modo meditari, LL. Symb. p. 662.) non sunt nisi *pædagogici*, (**) & hoc nomine commode insigniuntur, ab actibus & motibus (***) *spiritualibus*, qui a sola gratia efficiuntur, sollicitè distinguendi. In ipsa *praxi* actus naturæ & gratiæ mirabiliter conjunguntur. (***) Valde utile est ac sæpe necessarium, ut quis in actionum suarum scrutinio probe discernere discat, quid ex viribus naturæ, quid ex viribus spiritualibus, per gratiam collatis, profectum sit; sed illud imprimis incumbit cuiusvis, ut quas quovis tempore vires habet, iis recte & fideliter utatur. (§. XXIX.)

(*) Impedimenta illa specialia perspecta habere, admodum utile est. Enumerantur complura passim, maxime in libris asceticis. Sed haud pauca recensentur etiam hinc inde in acroamaticis. Vid. e. g. Aeg. HVNNII Opp. T. I. p. 499. sq. 806. sq. 811. sq. Val. Ern. LOESCHER I Bollst. Tim. Ver. P. I. p. 205. sq.

(**) De actibus pædagogicis vid. SCHOMERI Theol. mor. p. 248. sq. Magnif. D. PFAFFII Diluc. Theol. de libero hominis arbitrio. p. 31. & imprimis Diff. de Pacto inter Deum P. & F. a Ludov. Molina confictio. p. 12. sqq.



(***) Ad spiritualia dona pertinent e. g. interna devotio mentis in auscultatione divini verbi, assensus, salutaris notitia &c. vid. Aeg. HVNNII Opp. T. I. p. 487.

(****) Rarior est (ait LOESCHERVS) sed admodum necessaria, doctrina de *unionē actionum humanarum cum x̄a gloriari seu effectibus gratiæ divinæ*. ac quædam deinceps de eâ notat, in Theol. præc. p. 68. sq.

§. XXXII. Vt vero in re gravi *limites* recte figantur, utque *gratiæ gloria* sua (in qua vindicanda prærogativam sibi deberi existimant Reformati) constet, quæ generatim & præcipue observanda sint, paucis indicabimus. 1.) Naturæ tanta pravitas est, ut sibi relicta & vi propensionum suarum naturalium non possit non averfari spiritualia. (Rom. VIII. 7. 1 Cor. II. 14.) Inde resistentia existit *naturalis*, eaque omnibus communis. 2.) Gratiæ medicinalis igitur, ut sanationem seu emendationem hominis salutarem ipsa *inchoat*, ita primis suis actibus & motibus, qui ideo irresistibiles sive inevitabiles sunt, necessitatem resistendi tollit; & 3.) *quicquid* deinceps potentiæ & virium homo habet ad res spirituales recte ac salutariter cognoscendas & appetendas, id donum est & effectus gratiæ. (§ IX.) & quia 4.) per gratiam quamque præcedentem admissam animus ad ulteriorem recipiendam *disponitur* & præparatur, novisque & majoribus viribus spiritualibus instruitur, (§ XXIX.) sequitur omnino, 5.) cum gratiæ jam præventus, & vires spirituales adeptus ulterioribus gratiæ donis ad salutem necessariis non donatur, vel convertendus vel conversus, id solius hominis culpa, non ex defectu gratiæ, sed ob non- usum facultatum & virium jam acceptarum, ob abusum libertatis, ob contumaciam ac resistentiam *voluntariam* & *maliciosam*, (*) fieri. Atque ita 6.) omne bonum DEO atque Ipsius gratiæ tribuitur; simul vero etiam intelligitur, cum perseverantiæ in statu peccati tum relapsus ex statu gratiæ, causam ac *culpam omnem* in homine, & quidem non in solâ naturali pravitate, sed in voluntaria, malitiosa & contumaci resistentiâ positam esse. Et sic demum 7.) & gra-

gratiæ divinæ gloria (***) omnis salva est, &, qui improbi manent, vere sunt *inexcusabiles*. (2 Theff. I. 8. Matth. XXIII. 37. Rom. I. 18. II. 4.)

(*) Quid resistentia voluntaria & malitiosa sit, plenius describit HOEFFNERVS, de Justif. p. 394. sqq.

(**) Patet etiam, sanam Ecclesiæ nostræ doctrinam nec cum *Semipelagianismo* (cujus arguere eam inique solent Reformati) nec cum *Synergismo* quicquam habere commune. De utroque illo errore vid. *Libros Symb.* p. 581. 677. sqq.

§. XXXIII. Tandem, non modo non irresistibiles sunt motus & operationes gratiosæ Spiritus Sancti, sed 7.) *nec violentæ*. Quamvis enim *inaequales* sint & aliæ aliis cum ad illuminandum & convincendum intellectum, tum ad movendam & flectendam voluntatem *fortiores*; nunquam tamen vim animo inferunt. Libere *consentire* DEVS vult hominem liberum. (§. XXIV. Matth. XXIII. 37. Deut. XXX. 19. Jos. XXIV. 15. Act. II. 41. XXVI. 19. Apoc. III. 20. Rom. II. 4.) Inde tot sunt in Scriptura S. exhortationes ad vigilantiam, & promptum, facile, ac lubens obsequium. Violentos igitur motus vel gratiæ assistentis & operantis, ad conversionem, vel cooperantis & inhabitantis, ad sanctimoniam & bona opera, vel arroganter appetere vel otiosus & securus expectare non debet quisquam. (conf. *Libros Symb.* p. 669.) Contra Gratiæ, etiam lenissime trahenti, moventi, monenti, promte & lubenter obsequendum. Inprimis vero sincere semper & fideliter agendum id cuique est, quod quovis tempore pro acceptæ gratiæ gradu, per vires Gratiæ sibi collatas, agere potest, sibi que agendum esse cognoscit.

§. XXXIV. Est vero adhuc quiddam, quod nullo modo negligendum aut parvi habendum esse ducimus, ordini Gratiæ divinæ intime innexum. Sunt quippe præter Verbum, quod proprium gratiæ salutaris *medium* & *organon* Spiritus S. est, (§. XXII.) multa, quibus DEVS ad homines tam ad se adducendos, quam in communione sua conservan-



dos utitur, quæve 8.) *subsidia* & *adminicula Gratia* aut *media pedagogica* dici commode possunt. 1.) *Talia sunt*, & internum dictamen conscientia, (Rom. I. 20. II. 15.) & externa divinae providentia opera omnia, quæ in universo regno naturæ sub providentissimo & optimo DEI regimine contingunt, atque ea potissimum, quæ hominibus eveniunt, bona & mala, beneficia & afflictiones, inprimis ea omnia, quæ aperta & singularia divinae & benignitatis & justitiæ documenta sunt. (Pl. XIX. 2. sqq. Rom. I. 19. 20. Act. XIV. 17. XVII. 27. Rom. I. 18. II. 1—3. 4. XI. 22. Hebr. XII. 10. 2 Chr. XXXIII. 10. 11. 12.) accedunt etiam minus communia quædam alia. (Hiob. XXXIII. 15—19. 29. 30.) Omnium illorum 2.) *finis atque usus* ille est, ut homines a levitate animi, torpore, negligentia, amore peccati & rerum mundanarum avocentur & ad (*) *usum mediorum gratia salutarium*, ipsarumque etiam *facultatum* & *virium* tam naturalium, quam spiritualium, gratiosè collatarum, adducantur. (Act. XVII. 27. Eccl. XVI. 16. XXVIII. 19. Luc. XV. 17.) Atque ita 3.) totum Regnum Naturæ Regno & oeconomia gratia sapientissime & benignissime a DEO accommodatum est, & summus atque admirabilis plane utriusque est ad unum eundemque finem summum consensus.

(*) conf. LOESCHER Theol. pretiosa. p. 65.

§. XXXV. Quem ordinem modumque teneat gratia medicinalis seu sanctificans, (§. XIII. XVIII.) posteaquam satis, ut puto, dilucide expositum est; (§§. XXIV—XXXIII.) sua jam sponte elucescit, quænam sint gratia hujus applicatricis, ut vocari solent, V.) *Affectiones*. Est nimirum 1.) plane *gratuita* & *indebita*, nullo hominis vel merito vel jure aut dignitate provocata. (§. I. Rom. XI. 35. 1 Cor. IV. 7.) Est 2.) *activa*, non consistens in solo, eoque otioso & inefficaci, affectu, nec confundenda cum *χαρισμασι* ac donis, (§. IV. VI. sqq.) quæ ceu effectus illius sæpe etiam nomine gratia veniunt. (§. IV. Obs. 2.) Est, quod maximi momenti ac præcipue observandum est, 3.) *efficax*, & ad producendos

dos effectus salutares omnes 4.) in se *sufficiens*. Ipsam enim divinam suam Virtutem Spiritus S. (§. VI. sqq.) ad inchoandam & perficiendam salutarem hominis mutationem, (§. VII. VIII. IX.) & eà quidem voluntate & intentione ferria, ut homo salvus fiat, (§. XXVII.) adhibet. 5.) *Nec* (*) ita *particularis* est, ut ex DEI ipsius intentione & mero beneplacito aliquibus tantum, iisque absolute electis, destinata sit. (§. eod.)

(*) Quod & quo sensu gratia DEI etiam applicatrix *universalis* sit, in Articulo de Vocatione plenius docetur.

§. XXXVI. Quamvis vero gratia ita efficax sit, tamen etiam & 6) *ordinata* est, ordinem quendam, sapientissime & iustissime a DEO constitutum, in efficienda salutari hominis mutatione tenens (§§. XXIV. XXVI. XXIX.) & 7.) quia consensus hominis, quem ex operatione & viribus gratiæ præbere, & per libertatis abusum malitiose denegare potest, requiritur, (§. XXX. XXXII.) *resistibilis*. (§. XXVIII.) Atque ita una & sola gratia, divina Spiritus Sancti Virtus atque operatio gratiosa, quamvis nec vim afferat animo, nec potentia absoluta & irresistibili agat, absque omni tamen liberi arbitrii & virium hominis, aut & aliarum rerum, (conf. §. XXXIV.) naturalium causali influxu aut coefficientia, salutarem hominis mutationem (*) perficit. Vni gratiæ omne debetur bonum spirituale, vires spirituales omnes, & tota nostra salus. (Eph. I. 8. 9. 10. I Cor. IV. 7. XV. 10.)

(*) Varias liquidæ veritati inimicas & magis minusve perniciosas opiniones, variorum, qui efficacitatem gratiæ vel in prædeterminatione sive physica sive morali ponunt, vel a concursu liberi nostri arbitrii aut a congruitate sive circumstantiarum externarum sive internæ dispositionis suspendunt, &c. qui plenius nosse cupit, ei satisfacere potest DORSCHÆI, in Pentadec. Disp. IX. de efficacitate gratiæ DEI, & Magnif. Dn. Canc. PFAFFII Diluc. Theol. de libero hominis arbitrio. p. 33. sqq.

XXXVII.



XXXVII. Ut initium & incrementum, (*) ita & 1.) *conservatio* omnis boni ac doni salutaris, vitæ & virium spiritualium, (**) ab una DEI ipsius Virtute & gratioſo Spiritu S. influxu pender. (1 Pet. I. 5. V. 10. 2 Theſſ. III. 3. Rom. VIII. 35 — 39.) Similiter fere, ac vita & vires rerum omnium in regno naturæ potentiâ & concurſu DEI generali conſervantur. (Hebr. I. 3. Act. XVII. 28.) Sed quia etiam ad conſervanda dona ſalutaria Spiritus S. non adhibet potentiam abſolutam & vim irrefiſtibilem, is etiam, qui regenitus jam & renovatus eſt, per peccata præterita 2.) *amittere* iterum poteſt *gratiam inhabitantem*, & tandem, 3.) quamvis gratia *aſſiſtens* & *revocans* (***) nunquam plane & abſolute ceſſet, 4.) per perſeverantem contumaciam malitioſam *indurari*. Horum vero omnium, ut res ſunt longe graviffimæ, & ipſius peccati in Spiritum Sanctum, explicationem ſpeciales articuli, de peccato, de vocatione, de converſione, de renovatione, rectius ſibi vindicant. Ipſa etiam doctrina de *officiis Spiritus Sancti* (quamvis permulta habeat cum his, quæ hætenus tradidimus, communia) propriam ſibi ac peculiarem tractationem poſtulat. Tandem & illud (quod verbo attingimus) quivis per ſe ipſum videt, totum hoc meletema noſtrum ſpectare operationes gratiæ *ordinarias*; de *extraordinariis*, quæ ordinem in Verbo DEI patefactum excedunt, & ne hodie quidem negari penitus poſſunt, tam parum nobis conſtat, ut tacere de illis hoc loco ſatius eſſe putemus, quam pauca illa, quæ dici forte poſſent, ediſſerere.

(*) Pulchre dicitur a Theologiſ hinc inde: Incrementum fidei & renovationis Spiritus S. ſic promovet, ut plerumque non ſentiamus nos creſcere, ſed poſt aliquod temporis ſpatium agnoſcamus nos creviſſe; non ſecus ac plantas non videmus creſcere, ſed creviſſe.

(**) Quàmprimùm enim Dominus clementem ſuam manum ab ipſo (homine converſo & regenito) retraheret, homo ne ad minimum momentum in obedientia divina perſeverare poſſet. Ita LL. Symb. p. 674.

(***) Legi hæc meretur Joh. Chriſtoph. PFAFFII Diſp. Theol. de Gratia DEI continua.

§. XXXVIII.



§. XXVIII. Pauca subijciemus *Consektaria practica.*

- 1.) Cum, nisi *sanctificemur*, salutis per *Redemptorem* partæ participes fieri non possumus, (§. III.) caveat sibi unusquisque, quen ulla salutis suæ cura tangit, ne *Gratiam Spiritus S. vd securus negligat*, vel proterve contemnat.
- 2.) Cum *Pehgianismus* (§. VI. XXII.) modo crassior, modo subtilior, facillime se omnibus, ob inositam naturæ philavriam, insinuet, & depravata Ratio saluberrimam & sanctissimam doctrinam de operationibus Spiritus S. ægerrime admittat, solidam de ea & duraturam *convictionem* haud consequitur, nisi qui cum humili & sincero Verbi divini studio ardentem preces conjungit.
- 3.) Exploret unusquisque seipsum sincere & serio, num particeps ipse sit Spiritus Sancti donorumque gratiæ, non assistentis tantum, sed *inhabitantis*, (§. XV.) quum hæc una sit indubium veræ & beatæ cum DEO & Salvatore communionis criterium. (Rom. VIII. 9. 14. 1 Joh. III. 24.) Deinde
- 4.) qui in se *pios sanctosque motus* sentit, ingens illud Spiritus S. beneficium humiliter agnoscat, lætusque confidat, opus gratiæ ab ipso inchoatum Eundem etiam & posse & velle perficere; (Phil. I. 6.) & ab omnibus illis
- 5.) sollicitissime sibi *caveat*, quibus gratiæ Spiritus Sancti resistitur. (§. XXX. XXXI.)
- 6.) Cum *Verbum DEI* organon sit Spiritus Sancti, (§. XXI. XXII.) qui *donorum Spiritus S.* saluberrimorum continuo magis participes fieri sincere cupiunt, lectioni & meditationi Verbi divini diligentissime incumbant; ac
- 7.) cum *habenti detur*, (§. XXIX.) donis gratiæ viribusque jam acceptis nullo non tempore & quavis occasione oblata utantur fideliter. (ibid.)
- 8.) Cum regnum naturæ universum Regno gratiæ subserviat,

F

viat,




viat, (§. XXXIV.) recogitent fideles sæpissime, quam mirabiliter DEVS *operibus Providentiæ* Opus gratæ in se ipsis per omnem vitam suam adjuverit, confidantque, omnia etiam posthac suæ salutis infervitura esse. (Rom. VIII.28.) Cogitent etiam,

- 9.) ipsum quoque *corpus* suum Spiritus S. templum esse, (§. VII.) & summo studio caveant, ne ullo corporis sui membro nisi sancte utantur. (1 Cor. VI. 19. 20.)
- 10.) Credant promissioni, & obsequantur mandato Christi, (Luc. XI. 9. 10. 13.) Hæc qui
- 11.) observaverint fideliter, illis etiam Spiritus S. donis, in quorum possessione & fruitione *summa hujus vitæ beatitudo* posita est, (Rom. XIV.17. XV.13. VIII. 15.16. Eph. IV.30.) felicissime portientur & suavissime perfruentur!

'ΑΥΤῶ ἡ Δόξα. 'Αμήν.

ERRATA.

- p. 16. §. XIII. lin. 4. 1 Petr. II. lege: 1 Petr. I.
lin. 5. Rom. XV. 15. lege: 16.
- p. 25. Obs. 2. lin. 3. quidam, lege: quidem.
- p. 34. lin. 1. principi, lege: principii.




153516

X 2310927

R





DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
GRATIA SPIRITVS SANCTI
APPLICATRICE
IN GENERE.

QVAM
IUVANTE DEO,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
IO. CAROLO LVDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DVCE BAVARÆ,
COMITE VELDENTIÆ ET SPONHEMII rel.
EQVITE AVRATO ORDINIS S. HVBERTI.
PRÆSIDE

IEREM. FRIDER. REVSSIO,
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,
SERENISSIMI DVCIS WVRT. CONSILIARIO, VNIVERSI-
TATIS CANCELLARIO, ECCLESIAE PRAEPOSITO,
ET ABBATE LAVREACENSIS

DEFENDENT

M. IOANNES CHRISTOPH. SARTORIVS, *Bebenhusanus.*
M. WILHELM. ERNEST. STRASHEIM, *Oppenvvilanus.*
M. IOANNES FRIDERICVS HERZ, *Constadiensis.*
M. SAMVEL ALEXANDER STRASSER, *Alto-Twielan.*
M. TOBIAS FERDINANDVS MOHR, *Plochingensis.*
SS. THEOL. CVLTORES ET SERENISSIMI STIPENDIARIIS.

Diebus XXIX. & XXXI. Octobr. MDCCLX. H. L. Q. C.

TVBINGÆ, TYPIS SIGMVNDIANIS.